

BOLETIN ECLESIASTICO

DEL

ARZOBISPADO DE TOLEDO.

ORACION DE LAS CUARENTA HORAS.

(Conclusion.)

»Ad offertorium Celebrans post benedictionem incensi, prævia genuflexione, incensat oblata; tum genuflexus in suppedaneo cum Diacono in eodem gradu pariter genuflexo iuxta probabiliorem sententiam, ut expeditior in ipsius adiutorium adstare possit, incensat Sacramentum, ut initio Missæ, nec amoveri tunc debet calix è corporalis medio. Incensato deinde altari, et Celebrante eo modo, quo supra in prima thurificatione, incensetur de more Ministri, et omnes de choro, et ipsem Diaconus cum solitis reverentiis: qui vero incensat populum, se sistat quasi à latere Evangelii, ne terga vertat Sacramento, et more solito illum incensem.

»In reliquis serventur ritus, qui pro celebratione Missæ privatae in altari expositionis sapienter statuti sunt.

»An Missæ solemnis tempore in fideliū communione licita sit patenæ suppositio sub mento communicandorum, audiatur Meratus, qui part. 2, tit. 40, n. 54 ait: *Diakonus patenam sub mento communicandorum tenere poterit, experientia enim necessitatē eiusmodi ritus evidenter probat, præsertim quando magnus est numerus communicandorum.*

»Audiatur etiam S. Rituum Congregatio, quæ hunc ritum in communione

generali, quæ per dignitates agitur, licitum facit his verbis: *Patenæ suppositio per Sacerdotem cotta iudicatum in communione generali, quæ per dignitates agitur, licita est. S. R. C. 3 setembris 1661.*

»Ad vesperas Celebrans, et Ministri, traditis in ingressu presbyterii biretis inferioribus Ministris, facta necnon ab omnibus genuflexione utroque genu, ut dictum est in initio Missæ solemnis, paululum orabunt in eodem plano genuflexi: accedunt deinde ad parata scama in cornu Epistolæ, ubi recitatis secreto *Pater noster*, et *Ave Maria*, intonatur à Celebrante *Deus in adiutorium etc.*, et alia dicuntur prout de more.

»Ad *Magnificat* vero, facta à Celebrante, et Ministris genuflexione utroque genu (prout innuit P. Caval.) in piano ante inferiorem altaris gradum cum profunda reverentia, ascendunt ad altare, ubi facta iterum genuflexione unico genu, altare etiam osculatur Celebrans in medio, deinde retrocedit aliquantulum in cornu sere Evangelii facie versa ad cornu Epistolæ, imponit incensum in thuribulo, illudque benedicit: tum facta cum sacris Ministris genuflexione in altaris medio, ac deinde genuflexus cum ipsis in suppedaneo Sacramentum thurifexat, tum ipsum altare, et denique fit incensatio Celebrantis et aliorum more in vesperis sólito: qui

vero incensat populum se sistat , prout dictum est in incensatione Missæ solemnis , et absolvuntur vesperæ.

DE RITU EXPONENDI , ET REPONENDI
SS. SACRAMENTUM.

» In expositione ss. Sacramenti pro initio orationis **XL** horarum hæc teneri potest methodus ; videlicet , hora competenti , et congrua pro populo , dicatur Missa solemnis votiva de ss. Sacramento etiam in duplicibus maioribus (minime vero in diebus ab instruct. Clem. ut supra exceptis , in quibus dicenda erit Missa de festo , de quo fit officium cum commemoratione ss. Sacramenti sub unica conclusione) , vel privata (quæ cum nullo gaudeat privilegio , nequit proinde dici de Sacramento , nisi aliunde iuxta Missalis rubricas liceat) in qua consecratur hostia pro expositione .

» Post sumptionem pretiosi Sanguinis deferatur à Cæremoniario , vel Subdiacono Ostensorium parvo velo cooperatum per gradus laterales Epistolæ , et deponatur in eodem cornu Epistolæ prope corporale , amoto velo , quo erat cooperatum : dcinde accedet cum debitibus genuflexionibus Subdiaconus ad sinistram , et Diaconus ad dexteram Celebrantis , apertoque per hunc Ostensorio , et super corporale posito , Celebrans adaptet sacram Hostiam in lunula Ostensorii adiuvante codem Diacono , qui illud statim claudit , velo etiam cooperit iusta probabiliorum sententiam , et in medio corporalis reverenter collocat (1) . Deinde

(1) Gardellinius in commentariis ad Instructionem Clementinam , § XIX , num. 3 et seq. quæstionem utrum ostensorium velatum , an discooperatum super Altare relinquï debeat pendens , momenta à Cavalerio Baruffaldo , et Tetamo pro huiusc veli appositione acriter propugnata refellit , concluditque standum esse Instructioni , quæ de hoc ritu omnino silet . Potissimum laudati scriptores rationem ex Rituali Romano desunt (tit. de Processione in festo Corporis Christi) , quæ infirma prorsus esse evincitur quod in proposita quæstione non agitur de processione , sed de expositione , quæ

terminetur Missa cum debitibus genuflexionibus , prout in feria 5 in Cœna Domini .

» Si facienda sit , ut usitatur Romæ , processio , hæc Ecclesiæ limites non excedat , ad instar processionis , quæ fit feria 5 in Cœna Domini (Crucifer tamen indutus apparebit superpelliceo) ; si tamen nequeat intra Ecclesiam processio decenter elongari , tunc extra ipsam , quantum sufficit , eam extendi permittit instruct. Clement.

» Finita idcirco Missa , et ablato per Diaconum velo ab Ostensorio , si cum sacris Ministris sit celebratum , facta necnon ab omnibus genuflexione unico genu , descendet Celebrans cum ipsis Ministris in plano per gradus laterales Epistolæ , et deposita vel retro altare , vel ad credentiam planeta cum manipulo , et assumpto pluviali , depositis quoque à Diacono , et Subdiacono manipulis , reversi ante inferiorem altaris gradum genuflectant utroque genu : ponat deinde Celebrans incensum in duobus thuribulis et ss. Sacramentum thurificet . Deinde porrectum à Diacono in supremo altaris gradu Ostensorium reverenter genuflexus accipiat (post traditum à Diacono Sacramentum ab ipsomet adoretur) , mox ad altare ascendat , et conversus ad populum intonet hymnus *Pange lingua* .

» Peracta processione , et Sacramento per Diaconum in Throno collocato , ad incipit statim ac Diaconus Sacram Eucharistiam in ostensorio reponit , ac proinde decet quam maxime Sacramentum adorationi fidelium discooperatum relinquere . In oratione **XL** horarum processio instruitur ad pompam , non ex ritu , sicut in festo Corporis Christi evenire solet , atque huius orationis præcipuum obiectum in expositione contigit . Ergo quæ in Rituali pro diversa circumstantia habeuntur , ad casum prorsus dissimilem extendi nequeunt , pro quo aliter per Summos Pontifices in Instructione cautum est , ac propterea assertio Auctoris nostri non est admittenda , quæ licet à citatis scriptoribus deprompta Instructionis sensu minime adhæret . (P. M.)

vers. *Genitori, Genitoque imponat* Celebrans incensum in thuribulo, et incenset Sacramentum: immediate vero post ultimam stropham hymni prædicti dicantur Litaniæ Sanctorum, positæ hic in fine cum suis precibus (in quibus dicendum erit iuxta instruct. Clement. vers. *Dominus vobiscum*, minime vero in repositione, ex eo forsitan, quia tunc datur benedictio cum ss. Sacramento) et statim, facta brevi oratione, recedant.

»Si vero non fiat processio locato post Missam (quod erit quoque servandum, quando extra occasionem Missæ sit expositio) ss. Sacramento in suo Throno, eoque incensato, dictis quoque Litaniis Sanctorum cum suis precibus ut supra, facta etiam brevi oratione, recedant.

»In repositione ss. Sacramenti pro fine orationis xl horarum, dicantur denuo Litaniæ Sanctorum usque ad vers. *Domine exaudi*, ponat deinde Celebrans incensum in thuribulo, et Sacramentum thurificet; deposito deinde per Diaconum Sacramento à Throno, et Celebranti de more porrecto, fiet iusta congruentiam processio. Finitra processione, posito per Diaconum Sacramento super altare, eoque ad vers. *Genitori, Genitoque* incensato, post vers. *Panem de cælo,* sine prævio vers. *Dominum bobiscum*, recitat Celebrans orationes: postea ad altare solus ascendendo sine Diaconi adminiculo, ss. Sacramentum sumet, et populum benedicet.

»Reposito deinde per Diaconum Sacramento in Tabernaculo, finis datur præcelsæ Divini amoris, et benevolentiae in nos plenæ xl horarum solemnitati.

NOTANDA.

Etiamsi expositiones, quæ communiter sub nomine orationis xl horarum fiunt, taliter aliquando nonnulli nuncupari detrectent, satiusque solemnis expositionis nomine donari concedant: attamen, cum solemnibus expositionibus, quæ pro publica, et gravi causa fiunt, omnia

liturgica iura tribuantur, quæ pro solemini cuadraginta horarum precatione sancita fuere, ideo in hoc etiam casu nihil immutandum de iis, quæ huc usque sunt tradita.

»Si autem, præter ea, quæ hic scripta sunt, aliquid à locorum Ordinariis statutum sit, hoc, non illa serventur.

LITANIE, ET PRECES IN ORATIONE XL HORARUM.

Kyrie eleison.	
Christe eleison.	
Kyrie eleison.	
Christe, audi nos.	
Christe, exaudi nos.	
Pater de cœlis Deus, miserere nobis.	
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.	
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.	
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.	
Sancta Maria, ora pro nobis.	
Sancta Dei Genitrix, ora	
Sancta Virgo Virginum, ora	
Sancte Michael, ora	
Sancte Gabriel, ora	
Sancte Raphael, ora	
Omnes Sancti Angeli, et Archangeli, orate	
Omnes Sancti beatorum Spirituum Ordines, orate	
Sancte Ioannes Baptista, ora	
Sancte Ioseph, ora	
Omnes Sancti Patriarchæ, et Prophetæ, orate	
Sancte Petre, ora	
Sancte Paule, ora	
Sancte Andrea, ora	
Sancte Iacobe, ora	
Sancte Ioannes, ora	
Sancte Thoma, ora	
Sancte Iacobe, ora	
Sancte Philippe, ora	
Sancte Bartholomæ, ora	
Sancte Matthæ, ora	
Sancte Simon, ora	
Sancte Thaddæ, ora	
Sancte Mathia, ora	
Sancte Barnaba, ora	
Sancte Luca, ora	
Sancte Maree, ora	
Omnes Sancti Apostoli, et Evangelistæ, orate	
Omnes Sancti Discipuli Domini, orate	
Omnes Sancti Innocentes, orate	
Sancte Stephane, ora	
Sancte Laurenti, ora	
Sancte Vincenti, ora	
Sancti Fabiane, et Sebastiane, orate	
Sancti Ioannes, et Paule, orate	
Sancti Cosma, et Damiane, orate	

Sancti Gervasi, et Protasi,	orate	Ut Dominum Apostolicum, et omnes Ecclesiasticos Ordines in sancta religione conservare digneris,
Omnes Sancti Martyres,	ora	te rogamus
Sancte Silvester,	ora	Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris,
Sancle Gregori,	ora	te rogamus
Sancte Ambrosi,	ora	Ut Regibus, et Principibus Christianis pacem,
Sancte Augustini,	ora	et veram concordiam donare digneris,
Sancte Hieronyme,	ora	te rogamus
Sancte Martine.	ora	Ut cuncto populo Christiano pacem, et unitatem largiri digneris,
Sancte Nicolae.	ora	te rogamus
Omnes Sancti Pontifices, et Confesores,	orate	Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare, et conservare digneris,
Omnes Sancti Doctores,	orate	te rogamus
Sancte Antoni,	ora	Ut mentes nostras ad cœlestia desideria erigas.
Sancte Benedicte,	ora	te rogamus
Sancte Bernarde,	ora	Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,
Sancte Dominice,	ora	te rogamus
Sancte Francisce,	ora	Ut animas nostras, fratrum, propinquorum, et benefactorum nostrorum ab æterna damnatione eripias,
Omnes Sancti Sacerdotes, et Lévitæ,	orate	te rogamus
Omnes Sancti Monachi, et Eremitæ,	orate	Ut fructus terræ dare, et conservare digneris,
Sancta Maria Magdalena,	ora	te rogamus
Sancta Agatha,	ora	Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris,
Sancta Lucia,	ora	te rogamus
Sancta Agnes,	ora	Ut nos exaudire digneris,
Sancta Cæcilia,	ora	te rogamus
Sancta Catharina,	ora	Fili Dei,
Sancta Anastasia,	ora	te rogamus
Omnes Sancte Virgines, et Viduae,	orate	Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Omnes Sancti, et Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.		Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.
Propitius esto, parce nobis Domine.		Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, misere re nobis.
Propitius esto, exadi nos Domine.		Christe, audi nos.
Ab omni malo, libera nos Domine.	libera	Christe, exaudi nos.
Ab omni peccato,	libera	Kyrie eleison.
Ab ira tua,	libera	Christe eleison.
A flagello terræmotus,	libera	Kyrie eleison.
A peste, fame, et bello,	libera	Pater noster <i>secreto</i> .
A subitanæ, et improvisa morte,	libera	¶. Et ne nos inducas in temptationem.
Ab insidiis diaboli,	libera	¶. Sed libera nos à malo.
Ab ira, et odio, et omni mala voluntate,	libera	<i>Psalmus 69.</i>
A spiritu fornicationis,	libera	Deus in adiutorium meum intende: * Domine ad adiuvandum me festina.
A fulgure, et tempestate,	libera	Confundantur et revercantur, * qui quærunt animam meam.
A morte perpetua.	libera	Avertantur retrosum, et erubescant, * qui volunt mihi mala.
Per Mysterium sanctæ Incarnationis tuæ,	libera	Avertantur statim erubescentes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.
Per adventum tuum,	libera	Exultent, et lætentur in te omnes, qui quærunt te, * et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.
Per Nativitatem tuam,	libera	Ego vero egenus, et pauper sum: * Deus adiuxva me.
Per Baptismum, et sanctum Ieiunium	tuum,	Adiutor meus, et liberator meus es tu: * Domine, ne moreris.
Per Crucem, et Passionem tuam,	libera	Gloria Patri, etc.
Per Mortem, et Sepulturam tuam,	libera	¶. Salvos fac servos tuos.
Per Sanctam Resurrectionem tuam,	libera	¶. Deus meus sperantes in te.
Per admirabilem Ascensionem tuam,	libera	¶. Esto nobis Domine, turris fortitudinis.
Per adventum Spiritus Sancti Paracliti,	libera	
In die Iudicii,	libera	
Peccatores, te rogamus audi nos.		
Ut nobis parcas,		
Ut nobis indulgeas,		
Ut ad veram penitentiam nos perducere digneris,		
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere, et conservare digneris.		

- ¶. A facie inimici.
¶. Nihil proficiat inimicus in nobis.
¶. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
¶. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis.
¶. Neque secundum iniquitates nostras retribus nobis.
¶. Oremus pro Pontifice nostro N.
¶. Dominus conservet eum, et vivifecet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum eius.
¶. Oremus pro benefactoribus nostris.
¶. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam.
¶. Oremus pro fidelibus defunctis.
¶. Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.
¶. Requiescant in pace.
¶. Amen.
¶. Pro fratribus nostris absentibus.
¶. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.
¶. Mitte eis, Domine, auxilium de Sancto.
¶. Et de Sion tuere eos.
¶. Domine, exaudi orationem meam.
¶. Et clamor meus ad te veniat.
¶. Dominus vobiscum.
¶. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabilis Passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue, quæsumus, ita nos Corporis, et Sauginis tui sacra Mysteria venerari, ut Redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus.

Ab Adventu usque ad Nativitatem Domini.

Deus, qui de Beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis, ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur.

A Nativitate usque ad Purificationem.

Deus, qui salutis aeternæ Beatæ Mariæ virginitate fecunda humano generi præmia præstisti: tribue quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae susciperemus Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

A Purificatione usque ad Adventum Domini.

Concede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetua mentis, et corporis sanitatis gaudere: et gloriosa Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione a presenti liberari tristitia, et aeterna persuiri latitia.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N., et dirige eum se-

cundum tuam clementiam in viam salutis aeternæ, ut, te donante, tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

Deus refugium nostrum, et virtus, adesto piis Ecclesiæ tuae precibus, auctor ipse pietatis: et praesta, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur.

Omnipotens sempiterne Deus, in cuius manu sunt omnium potestates, et omnia iura regnorum, respice in auxilium Christianorum, ut gentes Turcarum, et haereticorum, quae in sua feritate, et fraude confidunt, dexteræ tuae potentia conterantur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque miseris, quos tuos sive, et opere futuros esse praenoscis: te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuae clemencia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, etc.

¶. Amen.

¶. Domine, exaudi orationem meam.

¶. Et clamor meus ad te veniat.

¶. Exaudi nos omnipotens, et misericors Dominus.

¶. Et custodiat nos semper. Amen.

¶. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

¶. Amen.

VARIA S. R. C. DECRETA AD ORATIONEM XL
HORARUM SPECTANTIA.

» An liceat in expositione Sanctissimi Sacramenti lumen aliquod eo artificio collocare à parte postica spheræ ut recta illuceat in ipsam sacratissimam Hostiam, quæ exinde lucida appareat?

» Resp. Negative et servetur Instructio jussu sa: me: Clementis PP. XI evulgata die 21 Ianuarii 1705 pro expositione Sanctissimi Sacramenti occasione orationis quadraginta horarum § VI. S. Rit. Congr. 31 martii 1821 in una dub. ad 5.

» In tertia Dominica cuiuslibet mensis ex antiqua consuetudine Cathedralis Pisaurum. in Missa solemni due Hostiae consecrantur, quarum una in usum Sacrificii, altera pro publica veneratione

in Ostensorio collocatur, confectaque celebratione processionaliter per Ecclesiam gestatur. Cum vero tempore Quadragesimæ, et Adventus supplicatio per Ecclesiam omittatur ex eo quod præfato tempore scamnis referta ipsa reperiatur pro commoditate populi ad audiendum verbum Dei currentis, bubium propositum est: an omissa in casu supplicatione, commemoratio Sanctissimi Sacramenti in Missa solemani debeat omitti? Resp. *Commemorationem ss. Sacramenti in præsata Missa solemani faciendam esse, licet accidentaliter omittatur Processio.* S. R. C. 45 maii 1819 in *Pisauren.* ad 2.

» Cum in Ecclesia s. Ignatii Urbis expositione ss. Eucharistiae Sacramenti, quæ dicitur quadraginta horarum, singulis fere annis incidat in diem Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, et Præses eius Ecclesiæ anceps hæserit, num liceat, durante tali expositione, recitare Officium, et celebrare Missas defunctorum in dicta Ecclesia, humillimis precibus petiti à S. R. C. resolutionem infrascriptorum dubiorum.

» *Primo:* An in Ecclesiis, in quibus expositum manet Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum Fidelium adorationi in turno perpetuae orationis, quæ dicitur quadraginta horarum, occurrente die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, liceat recitare Officium defunctorum, et celebrare Missam solemnem, et etiam Missas privatas itidem defunctorum? Resp. *Affirmative.*

» *Secundo:* Et quatenus affirmative, an adhiberi debeant paramenta coloris violacei, potius quam coloris nigri? Resp. *Arbitrio Superioris localis.*

» *Tertio:* An in eodem casu excipendum sit Altare, in quo habetur expositum Sanctissimum Sacramentum? Resp. *Affirmative.*

» Et ita declaravit S. R. C. 16 sept. 1801. *Romana seu Urbis Ecclesiæ s. Ignatii.*

» An præter consuetas usuque recep-

tas ss. Sacramenti expositiones, extraordinariæ quoque in Ecclesiis exemptis fieri possint absque licentia Ordinarii? Resp. *Negative et serventur Decreta hac super re pluries edita.* S. R. C. 31 martii 1821. Dubior. ad 4.

» Quæsitum fuit: An Parochus, et primu dignitas Ecclesiæ Cathedralis possit indicere Orationem quadraginta horarum, et exponere ss. Eucharistiae Sacramentum absque licentia Episcopi?

» Et Sacr. Congreg. respondit: *Non posse.* Die 4 iunii 1644. *Grossetana.*

» Sacerdos deputatus à Vicario ad conficiendum turnum Orationis quadraginta horarum in Urbe petiit, an feria 6 in Parasceve siit prosequenda huiusmodi Oratio cum expositione Sanctissimi, an vero abstinendum?

» Et S. C. mandavit: *Omnino cessandum à mane seriae 5 usque ad mane Sabati Sancti.* Die 12 martii 1661. *Urbis.*

» Quæsitum humiliiter fuit à nonnullis Sacerdotibus Civitatis Euguvinae à S. R. C. declarari: An liceat in Ecclesiis, in quibus occasione quadraginta horarum expositum detinetur Augustissimum Sacramentum, celebrare Missas defunctorum, et quid. si ex præscripto Testatorum essent celebrandæ?

» Et S. C. *Congruentius abstinentiam,* respondit. Die 27 aprilis 1697. *Eugubina dubii.*

» Cum ex parte Magistri Cæremoniarum Congregationis s. Philippi Nerii Patavinæ Civitatis S. R. C. propositum fuerit dubium: An instructio pro oratione quadraginta horarum Romæ iussu Clementis XI edita etiam extra Urbem servari possit, et debeat?

» Respondit: *Prædictam instructionem extra Urbem non obligare, laudandos tamen, qui se illi conformare student, nisi aliud ab Ordinariis Locorum statutum sit.* S. R. C. 12 iulii 1749. *Patavina.*

» Interrogata S. R. C.: An tempore quadraginta horarum in Cathedralibus, vel Collegiatis, debeat semper assistere

aliquis Sacerdos, vel Clericus cum superpelliceo?

» Respondit: *Hoc maxime decere iuxta edictum Em. Vicarii pro Urbe, et Episcopus in hoc quam maxime incumbat.* S. R. C. 10 decemb. 1701. In Cortonen.

» Nota. Licet in praecitato decreto nulla fiat mentio de stola, eadem semper adhiberi potest à Sacerdotibus, prout usitatur etiam Romæ, solis Patriarchalibus Ecclesiis exceptis, nec non eo tempore, quo Summus Pontifex Hostiam sacram veneraturus ad aliquam Ecclesiam accedit. *Gardellini ad Instruct. Clement.*

» Dum vesperæ solemniter celebantur cum expositione ss. Sacramenti, et concione ad populum, ac postea, recitationis precibus, fit ss. Sacramenti reservatio solemnis, quinam color in paramentis sacris est adhibendus pro tali reservatione?

» Resp. Quatenus Sacerdos, qui vesperas paratas celebravit, non recedat ab Altari et assistat tum concioni, tum precibus, reservationem faciendam esse cum paramentis coloris respondentis Officio diei, et velo humerali albi coloris, si illud adhibeatur. Quatenus vero recedat, et reservatio habeatur tamquam functio omnino separata, et distincta ab Officio vesperarum, utendum esse paramentis coloris albi. Et ita declaravit, et servari mandavit. S. R. C. 20 septemb. 1806. *Matriten. seu Toletana.*

» Quæres: quonam habitu utendum à Regularibus sive Monachis, sive Mendicantibus sermonem habentibus in Oratione quadraginta horarum?

» Resp. Sicut in ipsa Urbe (Romæ) prout notat sæpe laudatus Gardellini, lex superpellicei non obligat Regulares concionantes in expositionibus, quæ fiunt extra occasionem quadraginta horarum, qui in proprio sui Ordinis habitu eo funguntur munere, sic propterea extra Urbem ita poterunt etiam in Oratione quadraginta horarum. Sacerdotes vero ex Clericis Regularibus in concionibus

habendis uti debent superpelliceo, vel etiam stola, prout in more est penes Clerum sæcularem.

» Clemens VIII, ut referunt Cavalieri tom. 4, cap. 7, decr. 50; Lucius Ferraris verbo *Eucharistia* num. 67, et Testamus in appendice cap. 3, art. 7, sect. 3 per suam Constitutionem anni 1592 *singulis paenitentibus, et confessis, ac sacra Communione refectis, qui in qualibet Urbis Ecclesia, ubi oratio xl. horarum continua, et non interrupta fuerit indicta, devote orando, unam saltem horam perseveraverint, Indulgentiam plenariam concedit: iis vero, qui inibi pias ad Deum preces effuderint breviori tempore semel annos, et totidem quadagenas de iniunctis, aut alias debitibus paenitentis relaxat.*

» Paulum V ampliasse præfatam plenariam Indulgentiam pro tempore, per quod orare cuilibet fuerit commodum, litteris in forma Brevis 10 maii 1606 testantur Auctores supralaudati.

» Verumtamen, quia quandoque ita comparatae sunt circumstantiae, ac tales, tantique momenti possunt concurrere causæ, ut opportunum maxime, et fortasse etiam necessarium videatur Præsulibus de nocte Sacramentum recondi, ac perennem Orationem intercipi, ne propterea populus spirituali illo bono privetur, Benedictus XIV in sua Constitutione *Accepimus* tom. 2, Bullarii n. 5, eamdem Indulgentiam plenariam lucrari posse declaravit, etiamsi noctu interrupatur oratio: prout constat per Epistolam datam ad Episcopum Wormatiensem. En verba: *Porro id necessario requiritur ad consequendas eas Indulgencias, quæ fidelibus conseruntur, qui dum precantur in illis Ecclesiis, ubi divina Mysteria spatio continuo quadraginta horarum exposita publice sunt. Etenim id omnino præcipitur in hac Indulgentia concedenda, quæ à quadraginta horis continuis nomen accepit. Equidem veteris discipline severitate remis-*

sa, nunc eadem Indulgentia concedi intelligitur, etiamsi Sacramentum Eucharistiae per horas quadraginta continuas gravissimis de causis minime protestet, modo tamen horis diurnis semper expositum relinquatur.

»Item Benedictus XIV ad fovendam, et excitandam Fidelium religionem, eosque avocandos à perniciosis Bacchanalium ludis, datis litteris ad Episcopos Status Ecclesiastici die 1 ianuarii 1748 relatis in eius Bullar. tom. 2, pag. 375, Indulgentiam plenariam indulxit visitantibus alteram ex iis Ecclesiis, in quibus ea de causa Sacra Eucharistia per triduum publico cultui exponatur in septuagesimæ, aut sexagesimæ, aut quinquagesimæ hebdomadibus, aut tribus omnibus.

»Clemens vero XIII eius successor præfatam Indulgentiam pro Statu Ecclesiastico concessam extendit ad omnes catholici orbis Ecclesias, et lucrari insuper posse indulxit nedum in triduo setuagesimæ, sexagesimæ, et quinquagesimæ, verum etiam in sola feria quinta infra hebdomadam sexagesimæ. Iuvat hic integrum referre decretum datum per organum S. Congregationis Indulgentiarum sub 23 iulii 1765.

»*Cum alias Benedictus XIV ad frequentes Episcoporum Pontificiæ ditionis querelas, gravioribus abusibus, qui Bacchanalium tempore irrepserunt, opportuno remedio opportune occurrere concupierit, perspexeritque in aliquibus Ecclesiis salutari consilio institutam esse ss. Eucharistiae Sacramenti expositionem per tres dies, sive in hebdomada septuagesimæ, sive in altera sexagesimæ, aut quinquagesimæ ante diem Cinerum, ad hoc præcipue, ne fideles tempore tentationis à via Domini recederent, et in prædictis Ecclesiis pie orantes divina impetrarent auxilia: universis utriusque sexus Christifidelibus confessis, et sacra Communione refectis, qui easdem Ecclesias, in quibus Venerabilis exposicio sive*

in uno, sive in singulis ex prædictis triduis devote visitarent, Indulgentiam plenariam misericorditer concessit, et indulxit.

»*Hinc Sanctissimus Dominus Noster Clemens Papa XIII sedulo recognoscens præfatam Augustissimi Sacramenti expositionem plurimum hisce diebus profuisse, ac deinceps fore profuturam, eandem plenariam Indulgentiam ad quacumque catholici orbis Ecclesias ubicumque locorum existentes, ubi Venerabilis exposicio sive in hebdomada septuagesimæ, sive sexagesimæ, vel quinquagesimæ, sive in singulis prædictis hebdomadis, per tres dies, atque etiamsi tantummodo in feria 5 infra hebdomadam sexagesimæ peragatur, ex uberi Pontificiæ charitatis fonte benignissime extendit.*

»Ne quid præteream: Pius VII speciali rescripto dato 12 maii 1807, benigne concessit, ut Indulgentia plenaria primum à Clemente VIII in exordio institutionis elargita, postmodum vero ab eius successoribus confirmata, et ampliata, applicari in posterum possit per modum suffragii animabus Fidelium Defunctorum: ac insuper declaravit omnia Altaria illius Ecclesiæ, in qua per turnum sit exposicio, privilegiata, durante tempore expositionis.»

ANUNCIO.

ADMINISTRACION DIOCESANA DEL ARZOBISPADO DE TOLEDO.

De orden superior, se ha remitido á esta Administracion Diocesana la *Guia Eclesiastica* para el año presente, á fin de que se venda á 18 y 14 rs., las primeras en pasta y las segundas en rústica; esta obra se recomienda por sí misma y por constar de datos oficiales sumamente curiosos. Además del Calendario anual, cronología de los Sumos Pontífices, tribunales y clerecía de la corte, se hace la enumeración por Diócesis del personal del clero que hay en cada una, con el número de coventos de religiosas, el presupuesto de aquel y estas, añadiendo después estados generales de todas las clases del clero, que sería difícil enumerar más extensamente.

En la Secretaría de la Administracion Diocesana están de veata á los precios indicados.